



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

128. An etiam extinguatur gratia, quam quis à Papa obtinuit de dignitate, Personatu, vel beneficio curato, obtinendo per assecutionem alterius beneficii cum beneficio illo ex dicta gratia habendo, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ex recepta & approbata jam consuetudine, non requiritur, ut adeptus secundum beneficium præhabitu resignet verbaliter sub publico testimonio, hoc est præsentem publicam personam coram Ordinario; sed sufficit, quod realiter & cum effectu, ac sine fraude illud, ejusque possessionem dimittat. Pih. n. 154. Garc. n. 40. citans Zerol. ubi ante, Bellamer. decis. 754. n. 6. Staphil. Hojed. &c. His tamen non obstantibus requiritur adhuc, ut post pacificam secundi possessionem, vel postquam, quod minus eam assecutus sit, per eum steterit, dimittat primum liberè & absolute, & non in favorem, aut ex causa permutationis, aut cum reservatione pensionis vel fructuum. Cum enim tunc prius beneficium vacet ipso jure, non potest propriè resignari; sed demissio illa ad solum factum spectat, ut nimirum à se abdicet possessionem illius, Pih. loc. cit. citans Garc. cit. n. 58. qui tamen ibi loquitur de decreto dimittendi, quod in gratia facta de aliquo beneficio habenti aliud incompatible apponitur; quod nimirum orator intra duos menses à die habitæ possessionis secundi, seu qua per eum steterit, quod minus eam assequatur, primum dimittere, seu juri competenti cedere in manibus Pontificis omnino teneatur; alioquin ambo vacant ipso jure, utpote vi cujus decreti ne quidem ante adeptam possessionem potest in manibus resignare conditionaliter, vel ex causa permutationis, ut Garc. n. 62. Vide de his eundem *ibid.* & Paris. l. 3. q. 1. nu. 64. & 95. & de hoc decreto à nobis dicenda infra.

Questio 126. *Qualiter reserventur Papa vacantia ob affectionem incompatibilis, & retentionem utriusque; & qualiter execrabilitas illa, seu affectio illa & reservatio probanda?*

Respondeo, ad utrumque satis responsum, ubi actum de reservatione, quam continet prima regula Cancellaria.

Questio 127. *An, & qualiter incompatibiles sint duæ dignitates, vel duo personatus, curam animarum non habentes in diversis Ecclesiis?*

Respondeo ad primum: esse incompatibilia; sic enim statuitur *c. ad hac*, ubi dicitur: *Omni rationi contrarium est, quod unus Clericus in una vel diversis Ecclesiis plures dignitates vel personatus obtineat; cum singula officia (intellige earum dignitatum & personatum) in Ecclesiis assidue perpetuam exigant, & ut dicitur *c. cum singula, de prob. in 6.* singula officia singulos ministros requirant; proindeque adferretur hoc juri non tantum canonico, sed etiam divino ac naturali, habere plures istiusmodi dignitates, personatus, officia, sine legitima dispensatione Sedis Apostolicæ ex justa causa, Pih. de prob. n. 128. adeoque nec ulla consuetudine id induci potest.*

2. Respondeo ad secundum: esse incompatibilia primi generis. hoc est, quorum unum vacat ipso jure per affectionem alterius. Circa quod videnda sunt, quæ de hoc dicta supra de duobus curatis: pariformiter enim quoad hoc in *c. de multis*, in Extravag. *execrab.* in Trid. statuitur de dignitatibus aut personatibus, & officiis curam animarum non habentibus, & in diversis Ecclesiis exi-

stentibus, ac de duobus curatis. Idem est quoad poenam illam inhabilitatis per hæc jura inductam utrumque curatum retinere præsumenti. Pih. loc. cit. n. 151. ac denique quoad ceteras limitationes hinc inde insinuat. Observandum tamen, ut inducatur dicta incompatibilitas, vacatio & poena inhabilitatis, debere esse officia & dignitates perpetuas. Garc. cit. c. 5. n. 161. De cetero multò magis jam dicta procedunt, dum amba dignitates vel officia essent in eadem Ecclesia; cum longè magis horreant Canones pluralitatem beneficiorum in eadem Ecclesia, ut patebit ex mox dicendis.

Questio 128. *An igitur etiam extinguatur gratia, quam quis à Papa obtinuit de dignitate, personatu, vel beneficio curato obtinendo, per affectionem alterius beneficii cum beneficio illo, ex dicta gratia habendo, seu expectatio incompatibilis?*

Respondeo ad hanc quaestionem aliis universalem affirmativè: sic enim in *Clem. gratia, de rescrip.* aperte statuitur universaliter, ut qui ratione gratiæ à Papa impetrat beneficium expectat, ipsam gratiam amittat; si consequatur pacificè possessionem alterius, quod cum illo expectato licitè simul obtineri non potest: & sic jus ad beneficium aliquod extinguatur per affectionem talis incompatibilis cum illo, ad quod jus habetur. Azor. p. 2. l. 6. c. 13. q. 9.

Questio 129. *An, & qualiter duo beneficia simplicia uniformia seu similia, per se alius comparabilia, vel ex hoc ipso, quod sint in eadem Ecclesia, sint incompatibilia?*

Respondeo primò: duo beneficia uniformia, non solum dignitates aut personatus, sed etiam omnia simplicia, puta, Canonicatus, præbendæ, portiones, præstimonias, Capellanias sub eodem recto, id est, in eadem Ecclesia sunt incompatibilia, *c. de multis, de prob. c. literas, de concess. prob. Clem. ult. de prob. Azor p. 2. l. 6. c. 11. q. 1. Pih. de prob. n. 131. Garc. p. 11. c. 5. n. 182. citans Paris. l. 3. q. 1. n. 121. Lamber. de jurep. p. 1. l. 2. q. 7. a. 15. Wamef. cons. 235. Tusch. concl. 64. & 66. lit. B. & alios quamplurimos cum communi Rationem dat Pih. loc. cit. quod sic diminuatur numerus Canonicorum, Capellanorum, &c. talis Ecclesiæ, adeoque cultus divinus, dum unus habet duos Canonicatus, Capellanias, &c. porro respectu procedit, sive ista beneficia residentiam beneficiati requirant, sive non. Azor loc. cit. Garc. loc. cit. citans Gregor. Lopez. l. 3. tit. 16. p. 1. Item sive sint sufficientia ad sustentationem, sive non. Garc. nu. 186. proinde cavendum à Zerol. in pr. Ep. p. 1. v. beneficium. 5. 7. concl. 6. ubi is ait; quod hodie per Trid. sess. 24. c. 17. possit quis habere duo beneficia conformia sub eodem recto, modò sint simplicia, & non requirant residentiam, nec sufficientiam. Garc. cit. n. 186. qui dicit hanc Zerolæ doctrinam esse falsam, & absque fundamento, cum Concilium ibi nihil innovet, seu disponat circa hoc. Et quidem jure communi longè difficilius conceditur habere talia beneficia in una, quam diversis Ecclesiis. Unde dispensatus à Papa ad habendum duo uniformia, non est dispensatus ad habendum ea in eadem Ecclesia. Azor. Pih. l. cit. quin & DD. ut Abb. in cit. c. literas. n. 2. Franc. n. 7. & Rota*